

thlochenam Ecclesiam processisse asseris, navem Petri in Jerusalem ædificatam cognosce, portuque ab illo anchora soluta littoribus vestris per aestuum volumina undarum applicuisse. Attestante enim Domino oportebat prædicari Evangelium in cœnes gentes incipientibus ab Jerusalem. Igitur

A quia Sion principium nostræ salutis diversis de causis exaltare nos convenit, ut exaltemur. Postremo pro Christo legatione fungens, tanquam Deo exhortante per me, obsecro, reconciliare Patri tuo, ut vivas propter eum, qui est pax nostra, qui fecit utramque uniri.

ANNO DOMINE MCXLII

GAUFRIDUS

CATALAUNENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(Gallia Christiana, tom. IX, pag. 879).

« Cum B. Bernardus, inquit Albericus in Chronico, in episcopum Catalaunensem fuisset electus, recusavit, et per ipsum Gaufridus abbas Sancti Medardi Suessionensis fit episcopus Catalaunensis. » Succinit Chronicum S. Medardi, Spicil. tom. II, pag. 787, in hæc verba : « Anno 1131 Gaufridus cognominatus Collum-cervi, abbas ecclesiæ B. Medardi, episcopus Catalaunensis effectus est. » Paulo post vero missus est cum Matthæo Albanensi episcopo ab Innocentio II papa ad Ludovicum VI Francorum regem, ut eum consolaretur de morte Philippi, filii ejus primogeniti. Anno sequenti, quo consecratus est, confirmavit Laurentio abbatì Sancti Vitoni foundationem prioratus Calidi-fontis, aliaque omnia ejusdem monasterii bona in sua diocesi posita; et anno 1133 ecclesiæ Cellensi quasdam ecclesias. An. 1134 monasterium in Argopa fundavit deditique canonicis regularibus, qui postea ad ordinem Cisterciensem transierunt. Anno 1137 subscripsit foundationi Carthusiæ Montis-Dei, deditque Odoni abbatì S. Remigii Remensis altare Lupemontis. Anno 1138 item Manassis II episcopi Meldensis cum Risendi abbatissa Faræ-monasterii diremit cum alijs arbitris. Eodem anno ad ejus preces Guarinus dedit monasterio Novigenti ecclesiam de Fontanis juxta Montem-Desiderii, quæ adhuc sub manu laica erat, et monasterio Sancti Petri personatum totius parochiæ Vitriacensis. Anno 1140 adfuit concilio Senonensi adversus Petrum Abælardum; præsensque fuit cum Hugo Roceii comes satisfecit ecclesiæ Sancti Remigii Remensis. Eodem anno fundavit anniversarium

B suum in ecclesia Sancti Martini a Campis Paris. Eodem circiter tempore composuit cum Hugone episcopo Autissiodorensi item quam habebat abbatis Faræ-monasterii cum episcopo Meldensi. Ad eum scripsit Petrus venerabilis abbas Cluniaci lib. II, epist. 43, in hæc verba : « Vos Cluniacensis, imo divini ordinis per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorum : vos, inquam, inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulsorem : vos diuturni somni, et longi monastici torporis excitatorem; hæc et mille talia dum recolo, dum rumino, dum teneo, totus et integer in sacrum vestrum amorem flammesco. Inde est quod de duabus vos alterum elegi, quos in non fletæ charitatis vertice totius Belgicæ Gallia vestre amicis præponendos non tantum credidi, sed et publice predicavi. Quid et illud quod et tantæ urbi non solum episcopum, sed et principem necessario vos esse oportet : nihil de monacho pontifex vindicet, nihil de religione princeps usurpet, nihil de prisco ordine mundus furetur. » Anno 1141 confirmavit cellæ Brigensi tertiam partem decimæ ecclesiæ Sanctæ Mariae de Codreio. Anno 1142 subscripsit chartæ Sansonis archiepiscopi Romensis pro monasterio Sancti Theoderici; et obiit v vel vi Kal. Junii, ex Necrologiis: eodem anno, non sequenti, ut fert Chronicum S. Petri Catalaunensis (si tamen in chronologia epistolarum S. Bernardi, quas modo citabimus, nihil erratum est), conditus in choro ecclesiæ cathedralis inter aquilam et imaginem S. Stephani.